

in referendis & reiiciendis variis doctorum de hac re opinionibus. Ipse vero POMPONII locum, ut eum cum PAULI loco ad consonantiam redigat ita explicat, *b)* ut 1) dicat, POMPONIVM loqui tantum de specie singulari, fundi scilicet, quem, durante matrimonio coniux coniugi donasset, in qua tantum coniugem, fundum sibi donatum possidentem, a fructibus mere naturalibus excludat. 2) Cuius quidem exceptionis rationem facit donatarii diligentiam. 3) Porro verba *sicuti nec cuiuslibet bonae fidei possessoris*, ita intelligi vult, quasi dixisset ICTus, nec coniugis fructus, si quosdam e fundo donato perceperit, fieri, nec eosdem lucrari quemuis alium bonae fidei possessorem, in quem scilicet is coniux illos e fundo donato iam a se perceptos fructus naturales transtulerit, quum hic non plus iuris potuerit accipere, quam habuit coniux. 4) Denique verba POMPONII: *quia ex facto eius is fructus nascitur*, non ad bonae fidei possessorem vult, sed ad coniugem, referri, qui fructus perceperat, quia de hoc ICTus in primis loquatur.

§. V.

Nos vero, quamuis eleganter haec & ingeniose ita exposita, & omnino laude ea digna habeamus, qua ea ornauit doctissimus librorum ad artem nostram pertinentium censor,

ceptos. Helmstad. 1769. in cuius §. 10. pag. 28 sqq. quaedam de sensu L. 45. D. de usuris interpretum opiniones cum epicrisi afferuntur. b) in §. II. cit. dissert. pag. 32 sq.